

LIGAMEN.

Vid. verb. IMPEDIMENTA MATRIMONII, art. 2, a n. 8 ad 19.

LIMINA APOSTOLORUM ROMÆ.

SUMMARIUM.

1. Limina Apostolorum Romæ visitanda esse ab episcopis statuit, sed absque præfinitione temporis Leo III. — 2. Sanctus Anacletus statuit visitanda esse juxta Papæ chirographum. — 3. Zacharias Papa statuit ab episcopis propinquis quolibet anno visitanda esse personaliter, a remotis vero per epistolas. — 4. Episcopi noviter creati jurant se visitaturos limina apostolorum per se, vel per certum nuntium quolibet anno, nisi a Sede Apostolica dispensentur, seu ad longius tempus eorum visitatio prorogetur. — 5. Nunc autem episcopi viciniore, ut Itali, etiamsi sint cardinales, tenentur per se ipsos, si non sint legitime impediti, visitare limina Apostolorum tertio quoque anno. Alii vero pro majori, vel minori distantia, quarto, ut Germani, Galli, Hispani; quinto, ut Africani; decimo, ut Asiatici. — 6. Episcopi legitime impediti, si per se ipsos non possunt visitare limina, tenentur id facere per alium in dignitate constitutum, vel si hunc non habent, per sacerdotem diocesanum id facere debent; et si nec hunc habent, per alium clericum, et docere debent de impedimento. — 7. Limina Apostolorum visitare tenentur etiam patriarchæ, archiepiscopi, et episcopi titulares. — 8. Coadjutor autem episcopi non tenetur visitare ipsa limina Apostolorum, sed coadjutus. — 9. Munus visitationis liminum consistit potissimum in tribus actibus, scilicet in materiali sacrorum liminum visitatione, in exhibitione debitæ obedientiæ et reverentiæ Romano Pontifici, et in relatione status ecclesiæ. — 10. Pro exarandis relationibus statuum Ecclesiarum servanda est instructio novissime edita de mandato Benedicti XIII. — 11. Episcopi pro visitandis liminibus possunt abesse a residentia suæ Ecclesiæ per septem menses, si sint ultra montes, et per quatuor, si sint citra; dummodo ad alios actus non divertant. — 12. Episcopus tamen, qui beatorum Apostolorum limina visitavit in fine unius triennii, non potest immediate in principio sequentis triennii iterum visitare, ac proinde visitationis titulo nequit per octo menses continuos abesse a sua ecclesia. — 13. Canonicus, qui accedit Romam pro servitio episcopi, qui venit ad visitanda limina Apostolorum, etiam quod veniat post episcopum, et non simul, lucratur distributiones quotidianas. — 14. Sic etiam distributiones lucrantur canonici missi ab ipsorum episcopis ad limina Apostolorum visitanda

(1. Limina Apostolorum Romæ visitanda esse ab episcopis statuit, sed absque præfinitione temporis, Leo III, epist. 1. (2. Sanctus Anacletus autem statuit esse visitanda juxta Papæ chirographum; c. Juxta 3, dist. 93. Qui hujus disciplinæ antiquitatem ex certis vetustatis sacræ monumentis pernosse velit, relicta Anacleti epistola, quæ Isidori figmentum est, adeat is Cl. Viri Petri Lazeri De liminibus Apostolorum disquisitionem historicam Romæ vulgatam 1773. Neque mirum, episcopis onus impositum visitandi Apostolorum limina. Nam a sæculo saltem XI, in formula juramenti a beneficiariis S. Neapolitanæ Ecclesiæ præstari soliti, quam Chiocharellus primus vulgavit, deinde Aurelius Alexius Pelliccia De christiana Ecclesiæ politia, diss. 5. pag. 103, ite-

eorum nomine. — 15. Canonico autem in Urbe commorante, si ipse deputetur ab episcopo suo ad visitanda limina, debentur ei distributiones unius mensis. — 16. Si vero episcopum ad visitanda limina comitasset, tunc distributiones debentur pro toto tempore accessus, mansionis et recessus. — 17. Quantum possit esse tale tempus? — 18. Episcopi, interveniente legitimo impedimento visitandi per se ipsos limina Apostolorum, possunt ipsa visitare per certum nuntium, aut procuratorem specialiter ad id deputatum. — 19. Neque tamen ipsa visitare per manentem in curia. — 20. Neque per presbyterum diocesanum non existentem de capitulo cathedralis, neque in dignitate Ecclesiastica constitutum. — 21. Neque per sacerdotem regularem. — 22. Episcopi, quando visitant limina Apostolorum, referre debent, se paruisse constitutioni Urbani VIII, incip. *Salvatoris*. — 23. Tempus præfixum ad visitanda limina Apostolorum incipit currere a die publicationis constitutionis Sixti V, incip. *Romanus Pontifex*. — 24. Talis publicatio quando facta sit, et quando cœperit currere primum triennium pro episcopis Germanis, Gallis, Hispanis, etc.; primum quinquennium pro episcopis Africanis, et primum decennium pro episcopis Asiaticis? Et hæc Triennia quando finiant, et de novo incipiant? — 25. Computatio fieri debet ab ipsa die 20 Decembris exclusive, et sic in fine cuiusque triennii, quadriennii etc. integra dies vigesima Decembris cedit commodo episcoporum. — 26. Triennia, quadriennia, quinquennia, et decennia respective currunt perpetuis temporibus pro omnibus successoribus episcopis, et quomodo? — 27. Liminum visitatio fieri debet in ultimo anno triennii, quadriennii, etc. — 28. Ad limina visitanda non admittuntur episcopi nuper consecrati, priusquam se ad residentiam conferant, nisi in casu, quo consecratur in curia paulo ante finem triennii sui antecessoris. — 29. Limina Apostolorum ibi esse dicuntur, ubi est Papa. — 30. Episcopi, archiepiscopi, primates, et patriarchæ, etiamsi cardinalatus honore præfulgeant, si seclusis legitimis impedimentis, per se, vel per certos nuntios limina Apostolorum non visitaverint statutis temporibus, incurrunt censuras, et poenas, et quas? — 31. Cætera ad rem ad n. 43. — 46. Subnectuntur Addit. Casin. ad n. 53. Ponitur in fine *Instr. pro expedienda Lim. visitatione*.

rum exhibuit, ipsimet clerici se limina Beati Januarii singulis annis personaliter visitaturos sacramento spondebant. (2. Zacharias vero in concilio Romano cap. 4. statuit, ab episcopis propinquis quolibet anno visitanda esse personaliter, a remotis vero per epistolas, cit. cap. Juxta 3, dist. 3. (4. Episcopi noviter creati jurant se visitaturos limina Apostolorum per se, vel per certum nuntium quolibet anno, nisi a Sede Apostolica dispensentur, seu ad longius tempus eorum visitatio prorogetur; cap. *Ego N. episcopus 4, De jurejurando*. Nunc autem talis obligatio est eis prorogata, ut infra.

(5. Episcopi viciniore, etiamsi sint cardinales, per se ipsos, si non sint legitime impediti, visitare limina Apostolorum, et

sui pastoralis officii rationem reddere, ac totius suæ Ecclesiæ status relationem facere tenentur tertio quoque anno, ut Itali. Alii vero pro majori, vel minori distantia, quarto, ut Germani, Galli, Hispani, quinto, ut Africani, vel decimo anno, ut Asiatici, iter suscipere, et, Deo concedente, perficere debent, et successive, eisdem temporibus transactis, repetere debent. Sixtus V. const. 15, incip. *Romanus Pontifex*, § 4.

(6. Episcopi legitime impediti, si per se ipsos non possunt visitare limina, tenentur id facere per alium in dignitate constitutum, vel si hunc non habent, per sacerdotem diocesanum id facere debent, et si nec hunc habent, per alium clericum, et docere debent de impedimento, et quomodo id est faciendum. Sixtus V, cit. const. incip. *Romanus Pontifex*, § 4.

(7. Limina Apostolorum visitare tenentur etiam patriarchæ, archiepiscopi, et episcopi titulares, ut declaravit sac. congreg. Conc. teste Fagnan., lib. II *Decret.*, in cap. *Ego N. episcopus 4, De jurejurando* n. 82. (8. Coadjutor autem episcopi non tenetur visitare limina Apostolorum, sed coadjutus. Sac. congreg. Conc., 4 Aug. 1609, apud Gavanti, in *Manual.*, verb. *Limina Apost.*, n. 2, in addit.

(9. Munus visitationis liminum in tribus actibus potissimum consistit; scilicet in materiali Sacrorum liminum visitatione, in exhibitione debitæ obedientiæ, ac reverentiæ Romano Pontifici, et in relatione status Ecclesiæ. Quos tres actus complectitur cit. bulla Sixti V, § *Quocirca*; et eorundem meminit sac. congreg. Concil. in litteris patentibus, quas tribuere solet episcopis post peractam visitationem, quarum formulam tradit Fagn., loc. cit., n. 61. (10. Et novissime Benedictus XIII, in concilio Romano celebrato anno 1725, tit. 13, cap. 1, et *Appendice*, instruct. 12, ubi ne deinceps defectu instructionis nunquam editæ pro exarandis relationibus statuum Ecclesiarum, earum aliquæ exhibeantur abundantes in superfluis, et aliquæ deficientes in necessariis, ut olim non semel accidebat, datur instructio hæc tenens emissa de mandato ejusdem Summi Pontificis a sacra congregatione Concilii edita, et ab omnibus episcopis, archiepiscopis, primatibus, et patriarchis admissim servanda. Vide ibi per tot.

(11. Episcopi pro visitandis liminibus possunt abesse a residentia suæ Ecclesiæ, seu diocesis per septem menses, si sint ultra montes, et per quatuor, si sint citra montes; dummodo eo tempore ad alios actus non divertant; sic expresse Urban. VIII, constit. inc. *Sancta synodus*. (12. Episcopus tamen, qui beatorum Apostolorum limina visitavit, v. gr. in fine unius triennii, non potest immediate in principio sequentis triennii iterum visitare, ac proinde visitationis titulo nequit per octo menses continuos abesse a sua Ecclesia, seu diocesi. Sac. Cong. *super residentia episc. habita in Quirinali ex ordine Sanctissimi*, die 17 Jul. 1637.

(13. Canonicus, qui accedit Romam pro

servitio episcopi qui venit ad visitanda limina Apostolorum, etiam quod dictus canonicus veniat post episcopum, et non simul, lucratur distributiones quotidianas. Sac. congreg. Conc., die 9 Septemb. 1623.

(14. Sic etiam distributiones lucrantur canonici missi ab ipsorum episcopis ad limina Apostolorum visitanda eorum nomine. Sic decisum fuisse a sac. congreg. Concil. refert Garcias *De benefic.* part. 3, cap. 2, n. 248, et Barbosa, *Collectan. Apostol. decis.*, verb. *Distributiones quotidianæ*, n. 11. (15. Canonico autem in Urbe commorante, si ipse deputetur ab episcopo suo ad visitanda limina, debentur ei distributiones unius mensis. Sac. congregat. Concil. in *Vigilien.*, 6 Januarii 1682.

(16. Si vero episcopum ad visitanda limina comitasset, tunc distributiones debentur pro toto tempore accessus, mansionis, et recessus. Ead. sac. congregat. Conc. in *Comen.* 28 Aug. 1688. (17. Quoad tempus ead. sac. congreg. Concil. constituit esse trium mensium in una *Vasionen.*, 17 April. 1627. At advertendum est, quod tempore hujus ultimi decreti nondum erat edita cit. constitutio Urbani VIII, incip. *Sancta synodus*, emanata solum 12 Decemb. 1634, concedens episcopis ultra montes septem menses, et episcopis citra montes quatuor menses pro visitandis liminibus, quod tempus videtur respective concessum etiam canonicis ipsos pro tali fine comitantibus.

(18. Episcopi, quamvis interveniente legitimo impedimento visitandi per se ipsos personaliter limina Apostolorum, possunt ipsa visitare per certum nuntium, vel procuratorem specialiter ad id deputatum, ut expresse conceditur in cit. cap. *Ego N. episcopus 4, De jurejurando*, (19. et cit. constit. Sixti V, incip. *Romanus Pontifex*, tamen nequeunt ipsa visitare per manentem in curia, ut respondit sac. congreg. Concil. in *Forolivien.*, 12 Aug. 1628. (20. Neque per presbyterum diocesanum non existentem de capitulo cathedralis, neque in dignitate ecclesiastica constitutum, ut censuit sac. congreg. Conc. in *Elboren.* sub die 4 Decemb. 1627. (21. Neque per sacerdotem regularem, ut respondit ead. S. cong. Conc. in *Visen.*, sub die 13 Novemb. 1627. * Cæterum vide *Addit. Casinenses* per tot. *

(22. Episcopi quando visitant limina Apostolorum, referre debent, se paruisse constitutioni 195 Urbani VIII, incipient. *Salvatoris*, editæ 3 Februar. 1634, in qua præcipit, quod locorum ordinarii, et verbi Dei concionatores, ad minus duabus vicibus quolibet anno, Adventus et Quadragesimæ temporibus, necessitates locorum Terræ Sanctæ commendari curent. Sic statuit Innocentius X constitut. 10, incip. *Salvatoris*, et confirmavit Clemens V, constitut. 39, etiam incip. *Salvatoris*.

(23. Tempus præfixum ad visitanda limina Apostolorum incipit currere a die publicationis dictæ constitutionis Sixti V, incip. *Romanus Pontifex*. Sic declaravit etiam sac. congreg. Concil. in *Burgen.* 12 Aug. 1628.

24. Talis autem publicatio facta fuit die 20 Decemb. 1585. Unde a tali die cœpit currere primum triennium pro episcopis Italis, primum quadriennium pro episcopis Germanis, Gallis, Hispanis etc., primum quinquennium pro episcopis Africanis, et primum decennium pro episcopis Asiaticis. Et hæc triennia, quadriennia, quinquennia, et decennia durant usque ad diem 20 Decemb. sui respective elapsi triennii, quadriennii, quinquennii, et decennii; et a tali die 20 Decembr. semper incipiunt nova triennia, quadriennia, etc., aliis jam respective elapsis, et ipsa die completis. (25. Quæ tamen computatio fieri debet ab ipsa die 20 Decemb. exclusive, et sic in fine cujusque triennii, quadriennii, quinquennii, et decennii integra dies 20 Decemb. cedit commodo episcoporum; adeo ut tempus ad visitandum præfixum duret usque ad ultimum momentum ejus diei; dies enim termini non computatur in termino; l. 1, ff. *Si quis cautionibus*, cap. *Frequens 1, De restit. spoliator.*, in 6, cum concordantiis de quibus per *Glossam, ibid.*, verb. *Proponitur*; Fagnan., *loc. cit.*, n. 43, et alii passim.

(26. Hinc est advertendum quod triennia, quadriennia, decennia respective currunt perpetuis temporibus pro omnibus successoribus episcopis: unde si quis episcopus Italiæ consecratur, v. gr. prima die Junii tertii anni triennii, quod currebat suo præmortuo, vel transiato antecessori, qui pro illo triennio limina non visitavit, tenetur ipse limina visitare eodem ipso anno ante elapsam totam diem vigesimam Decemb. ejusdem anni: et si hoc spatium temporis nimis breve videatur ipsi episcopo ad perfecte conficiendam relationem suæ recenter adeptæ Ecclesiæ, et limina visitanda, poterit prorogationem ad hoc munus obeundum impetrare a sac. congregat. Conc. quæ in similibus casibus solet ipsam concedere. Si autem suus antecessor pro tali currenti triennio jam limina visitaverit, ipse episcopus successor poterit differre visitationem liminum spatio trium annorum, et sex mensium, et viginti dierum a die prima Julii suæ consecrationis usque ad diem 20 Decemb. ultimi anni sui primi respective currentis triennii. *Communis* per text. d. constit. Sixti V, inc. *Romanus Pontifex*, § *Ad hoc autem*, vers. *Quæ ne longius dissestantur*, etc.

(27. Liminum visitatio fieri debet in ultimo anno triennii, quadriennii, quinquennii, et respective decennii. Unde episcopi, præsertim Italiæ, non consueverunt in primo anno, triennii admitti ad visitationem liminum, in secundo autem anno nonnisi raro, et ex aliqua rationabili causa; Sic censuit sac. congreg. *super residentia episcoporum habita in Quirinali ex ordine Sanctissimi*, die 17 Julii 1657. Hinc ad limina visitanda non admittuntur episcopi nuper creati priusquam se ad residentiam conferant, nisi in casu, quo consecrantur in curia paulo ante finem triennii sui antecessoris, v. gr. mense Octobris, seu Novembris; quia tunc,

cum non subsit tempus adeundi suam Ecclesiam, et conficiendi ejusdem status relationem, et redeundi ad Urbem ad limina visitanda ante elapsam diem 20 Decemb. immediate sequentis, ex gratia admitti solent a sac. congr. Conc. ad visitationem liminum, priusquam abscedant a curia, aliquibus eis conditionibus impositis. Fagn. *loc. cit.*, n. 49, et alii.

(29. Limina Apostolorum ibi esse dicuntur, ubi est Papa; sic ex multis, cum multis probat Fagn., *loc. cit.*, a n. 69, per text. in cap. *Qui cathedram 3*, et cap. *Juxta 4*, dist. 93, cap. *Ad limina 7*, caus. 31, quæst. 1, cap. *Ego N. episcopus 4*, *De jurejurando*, et cit. constit. Sixti V, incip. *Roman. Pontifex*.

(30. Episcopi, archiepiscopi, primates, et patriarchæ, etiamsi cardinalatus honore præfulgeant, si, seclusis impedimentis legitimis, per se, vel per certos nuntios, aut specialiter deputatos procuratores, statutis, ac supra assignatis temporibus limina Apostolorum non visitaverint, ab ingressu ecclesiæ, ac etiam ab administratione tam spiritualium, quam temporalium, nec non a perceptione fructuum suarum ecclesiarum a capitulis earum interim libere exigendorum, et in opus fabricæ, seu ornamentorum Ecclesiæ emptionem, prout major exegerit necessitas insumendorum, ipso facto, elapso respective triennio, quadriennio, quinquennio, et decennio, standi sunt suspensi, donec a contumacia resipiscentes relaxationem suspensionis a Sede Apostolica meruerint obtinere, textu expresso in cit. constit. Sixti V, incip. *Romanus Pontifex*, § *Si vero, quod absit*.

(31. Limina Apostolorum statutis temporibus visitari debent ab omnibus episcopis: Bened. XIV, const. 7, incip. *Quod sancta*, § 1 et 2. (32. Item ab inferioribus prælatis jurisdictionem quasi episcopalem habentibus. (33. Idem *ibid.*, § 5. Quæ de re juramentum præstare jubentur, si præsentem in curia fuerint, in manibus S. R. E. diaconi cardinalis ordine prioris; si vero absentes, in manibus nuntii, aut legati Sedis Apostolicæ, (34. si præsens fuerit; (35. sin minus in manibus alicujus episcopi, aut archiepiscopi eorum arbitrio eligendi. (36. Idem *ibid.*, § 5. Itali, et insularum adjacentium tertio quoque anno; (37. Reliqui autem in aliis provinciis, regnis, et terrarum orbis partibus, et regionibus existentes, tam qui nunc sunt, quam qui in posterum erunt, quinto quoque anno a tempore captæ possessionis computando; Idem *ibidem*, § 7.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(38. Ex constitutione sa. mem. Bened. XIV, data 23 Novembris 1740, incip. *Quod sancta*: omnes et quicumque abbates, priores, præpositi, alique quocunque nomine ac titulo insigniti, etiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, tam sæculares, quam regulares jurisdictionem quasi episcopalem habentes, jam promoti, et promovendi, antequam suorum monasteriorum, seu eccle-

siarum possessionem apprehendant, juramentum præstare debent juxta formulam in dicta constitutione descriptam in manibus cardinalis decani, si præsentem in curia, et si absentes, in manibus nuntii, aut legati Apostolici, eoque absente, in manibus alicujus archiepiscopi, aut episcopi eorum arbitrio eligendi, se liminum visitationem, nullo intercedente legitimo impedimento, personaliter peracturos esse, ac de sibi commissa monasteriorum, et ecclesiarum procuratore relationem Romano pro tempore Pontifici facturos esse singulis trienniis a die possessionis apprehensæ incipiendis, si sint Itali, vel ex Insulis, et provinciis Italiæ adjacentibus, sin minus, quinto quoque anno, sub pœna suspensionis ingressus ab ecclesia, administrationis tam temporalium, quam spiritualium, perceptionis fructuum, etc.; *intercedente vero legitimo aliquo impedimento*, (39. per virum in dignitate ecclesiastica constitutum de gremio monasteriorum, vel ecclesiarum, aut per aliquem sacerdotem regularem, aut sæcularem, per quem docere debent de impedimento.

(40. His qui tenentur visitare limina, tum relationem facere de statu suarum ecclesiarum, adde etiam administratores datos alicui episcopo in legitima ætate nondum constituto, ut usuvenit, dum aliquis regius princeps, nondum in ætate legitima constitutus præficatur alicui Ecclesiæ; sa. mem. Benedictus XIV, *De synod. diæcesan.*, lib. xiii, cap. 6, n. 5.

(41. Recte *Auctor* num. 7 sentit teneri, et episcopos titulares ad visitationem liminum, (42. Tametsi enim Andreucci *De episcopo tit.*, p. 4, § 1, n. 290, neget eos teneri, ea reddita ratione, quod Ecclesiarum suarum statum plane ignorantes, illius relationem facere nullo modo queunt; (43. tamen optime ex Fagnano advertit dictus Benedict. XIV, *De synod. diæcesan.*, lib. xiii, cap. 6, n. 5, « quod quum in visitatione sacrarum liminum (*sunt ejus verba*) præter venerationem erga sanctorum apostolorum cineres, debitus Romano Pontifici submissionis, et obedientiæ actus contineatur; quum etiam episcopus titularis, licet absens, et impeditus quominus ad suam Ecclesiam accedat, de hujus tamen statu aliqua identidem cognoscere possit, quæ Pontifici referenda sint, et quorum occasione aliquid in ejusdem Ecclesiæ utilitatem proponendum occurrat; hinc affirmandum videtur, episcopos quoque titulares ad Sixtinæ bullæ observantiam teneri. » Adde pro hac sententia Thomassin. *De veter. et nov. Eccles. disciplin.*, part. II, lib. III, cap. 42, n. 12 et sequent.

(44. Recte quoque *auctor*, n. 8 sentit, et teneri coadjutum, nequaquam vero coadjutorem. (45. Cæterum si coadjutor visitationem peregisset, et relationem de Statu Ecclesiæ fecisset, minime pro ea vice teneatur coadjutus; Bened. XIV, *De synod. diac.* lib. xiii, cap. 6, n. 5.

ADDITIONES CASINENSES.

(46. Quod tradit *auctor* sub n. 21, nempe

episcopos, ubi ex legitimo impedimento, nequeant per seipsos visitare limina Apostolorum, quo in casu facultas eis conceditur ipsa visitare per certum nuntium, vel procuratorem ad id specialiter deputatum, nequaquam id muneris demandare posse sacerdoti regulari, id intelligendum, quando adsit copia sacerdotum sæcularium. Quod si clerus omnino in diœcesi deficiat, tunc per sacerdotem regularem posse antedictos antistites eadem limina visitare, utique exploratum est ex formula juramenti ab episcopis ante consecrationem edi soliti, prout exstat in Pontificali Romano, quamque in nostris additionibus sub v. *Juramentum*, in fine, attulimus: In qua formula sequens particula continetur: « Apostolorum limina singulis trienniis personaliter per me visitabo... Quod si legitimo impedimento detentus fuero... adimplebo per certum nuntium ad hoc speciale mandatum habentem, de gremio capituli, aut alium in dignitate ecclesiastica constitutum... aut iis mihi deficientibus, per diœcesanum sacerdotem; et clero deficiente omnino, per aliquem alium presbyterum sæcularem, vel regularem, etc. »

(47. Idem etiam aperte liquet ex Constitutione felic. recordat. Sixti V Pontificis M. incip. *Romanus Pontifex*, cujus *Auct.* supra meminit.

(48. Verum quidem est, S. congregationem concilii limina ad visitanda pro episcopo Visen. noluisse admittere regularem episcopi familiarem, et commensalem, etiamsi alium non invenire diceret, et iste jam esset in Urbe, ut in Visen. sub die 13 Nov. 1627. Apud Barbosam, *Apostol. Decis. collect.* 451, n. 5, v. *Limina Apostolorum*. At id ex causis, et circumstantiis particularibus repetendum.

(49. Cæterum, eodem Barbosa referente, « limina Apostolorum ut possint visitari per sacerdotem regularem bene informatum, fecit gratiam sac. congreg. Concil. episcopo Canarien. sub die 9 Maii 1629, cum fuerit ab illis partibus transmissus, stante, quod propter itineris longitudinem milliarium 1700 et ob pericula in quæ occurrant alias transmissi sacerdotes sæculares, qui a Turcis captivi facti fuerunt, nullus invenitur, qui mitti voluit. » *Ibidem*, n. 6.

Ubi, ut vides, S. congreg. admisit pro visitatione SS. liminum sacerdotem regularem, etsi sæculares sacerdotes non absolute deficerent, ex particularibus nimirum considerationibus.

(50. Hinc porro est, cur is idem clar. canonicus, in allegat. 111, n. 41, *De offic. et potest. episc.*, de visitatione SS. liminum agens, fundamentaliter ponit secundum a nobis tradita ex textibus allatis, nempe quod « omnes patriarchæ, primates, arch. et episcopi, si legitime impediti fuerint, per certum nuntium ad id speciale mandatum habentem de gremio suorum capitulorum... et si clero careant omnino, per aliquem alium presbyterum sæcularem, aut regularem... hoc ipsum adimpleant. »

(51. Atque ad uberiorem totius materiæ notitiam, nec non ad confirmationem eorum, quæ a nobis notata sunt, facturos operæ pretium putamus, si nonnulla loca ex syn. Diœces. Benedicti XIV, heic afferamus, in hæc sane verba :

« Abstinendum hic autem ducimus ab exponendis controversiis olim in prædicta congregat. agitatis tam super qualitate impedimenti, quo episcopus a personali sacerorum liminum visitatione recte excusetur, quam super documentorum genere, quæ ad idem impedimentum legitime probandum afferri debeant, ac demum super persona Procuratoris ad obeundas episcopi vices delegandi; de quo disputatum fuit, an liceret canonicum, aliumve diœcesanum sacerdotem, non præcise in eum finem delegatum, sed jampridem in Urbe commorantem, suasque res ibi agentem, ad visitationem peragenda, procuratorem constituere; et an sacerdotem regularem mittere, et deputare liceret. In hoc enim rerum genere jamdudum facilius atque remissius agi cœpit, et pristinus rigor progressu temporis valde temperatus est, habita ratione gravium expensarum, quæ ad Romanum iter conficiendum episcopis subeundæ sunt, graviorumque onerum, quibus episcopales mensæ, vel temporum calamitate, vel aliis de causis, subjiciuntur. Unde si episcopus, justo quolibet impedimento detentus, a sacra congregatione licentiam petat visitandi limina per procuratorem, atque etiam in eum finem deputandi canonicum aliquem, aut sacerdotem diœcesis suæ jam in Urbe existentem, et privatis suis rebus vacantem, vel etiam ordinarium suum negotiorum gestorem, seu agentem, de rebus Ecclesiæ et diœcesis probe instructum, dummodo ecclesiastico caractere sit insignitus, facta Romano Pontifici per secretarium ipsius congregationis instantiæ illius relatione, non ita frequenter rejici solet, ut olim evenisse constat; sed petita licentia, et facultas passim benigne conceditur. De regulari tamen sacerdote, cum mentio quidem fiat in citata Sixti V constitutione, § 4, sed pro eo tantum casu, quo clerus in diœcesi deficiat; adjecta lege, ut Sacerdos regularis probus, et religiosus sit, Ecclesiæque, ac diœcesis res, et negotia optime calleat, atque hæc etiam enuntientur in formula juramenti, quam recitat episcopus, dum ad suscipiendum consecrationis munus accedit, quæque inserta est Pontificali Romano, ubi sic legitur: « Et, clero « deficiente omnino, per aliquem alium presbyterum sæcularem, vel regularem, spectatæ probitatis, et religionis, de supradictis « omnibus plene instructum »: hinc est, quod si regularis aliquis sacerdos deputari velit, nonnihil difficultatis offendi solet: cum prius probanda sit deficientia capituli, et cleri sæcularis: eaque non probata, nequam admittatur procurator regularis sive a diœcesi missus, sive jampridem in Urbe degens; nisi forte agatur de Ecclesiis in remotissimis regionibus constitutis, unde difficillimum est specialem procuratorem de

gremio capituli, aut cleri sæcularis ad visitanda Apostolorum limina Romam transmittere. »

« Nonnullas (prosequitur Ben. XIV) alter generis quæstiones in præf. Congr. Conc. discussas, et definitas breviter hoc loco indicabimus. Et primum, cum in Sixtina constitutione inter eos, qui singulis decenniis ad sacerorum liminum visitationem adiunguntur, non alii recenseantur, quam episcopi Asiatici, et qui in novis terris orientalibus, meridionalibus, occidentalibus, et septentrionalibus existunt; episcopi Hiberniæ olim postularunt, ut eorum paupertatis ratione habita, ipsis concederetur, singulis pariter decenniis semel duntaxat eandem visitationem explere: quod iis, ob allegatam paupertatis causam, a sacra congregatione, annuente Pontifice, indultum fuit die 10 Maii 1631, ut adnotatum reperitur lib. XIV Decr., p. 422, quantumvis in ipsa Sixti V constitutione de iis nominatim statutum fuisset, ut quarto quoque anno ad id tenerentur. Eadem lex de visitandis quarto quoque anno Apostolorum liminibus in dicta constitutione imponitur episcopis Gallis. Quæsitum itaque fuit an episcopus Carpentoractensis singulis quadrienniis, vel potius trienniis, ad hujusmodi visitationem teneretur: et quidem perpensis, quod comitatus Venusinus, non secus ac Avenionensis, licet non de Gallia, in Galliæ tamen partibus situs est, ut dictum fuit in decis. 80, n. 1 et seq., post Tondut. De pensionib. ecclesiast., et in *Disquisitionibus legalibus* Pauli de Gandecombe, cap. 12, n. 1, et pluribus seq., dicta congregatio die 19 Februarii 1718, dum nos secretarii illius munere fungemur, merito censuit episcopum Carpentoractensem singulis tantum quadrienniis sacra limina visitare debere: ut videre est tom. I *Thesaur. Resolut.*, Urbin. edit., p. 23. »

« De aliis præterea controversiis actum, et pronuntiatum fuit, quæ pertinent ad personas prædictæ visitationis, et reddendæ rationis lege obstrictas. Quæsitum nempe aliquando fuit an id oneris incumberet episcopis, quibus coadjutor ab Apostolica Sede datus fuisset. Summus autem Pontifex Clemens VIII die 25 Februarii 1592 respondit satis esse, ut vel episcopus ipse, vel coadjutor, illius nomine, visitationem expleret, et relationem status Ecclesiæ exhiberet: idque relatum fuit in Acta dictæ congregationis Concilii lib. LXXIII *Supplicum libellorum*, p. 29. Accidit aliquando, gravibus id suadentibus causis, ut regius aliquis princeps, in legitima ætate nondum constitutus, alicui Ecclesiæ præficiatur, adjuncto eidem certo administratore ad hoc, ut meliori diœcesis regimini consulatur. Cum itaque dubitatum olim fuerit, an hujusmodi administrator Apostolorum limina visitare, et statum Ecclesiæ sibi quoque ad regendum commissæ, Apostolicæ Sedi representare teneretur: sacra congregatio Concilii die 13 Augusti 1622, respondit, administratorem tam proprio nomine, quam etiam principis

episcopi, cujus partes in Ecclesiæ gubernatione adimplet, Sixtinæ constitutionis præceptum servare debere.

« Nemini ignotum est (sic idem cl. scriptor) in S. R. E. cardinalium collegio sex esse episcopos, suburbicarios nuncupatos, Ostiensem videlicet, Portuensem, Sabinensem, Albanensem, Prænestinum et Tusculanum...

« An vero hujusmodi suburbicarii cardinales episcopi ad visitationem sacerorum liminum, et ad relationem status propriæ cujusque Ecclesiæ juxta Sixtinam constitutionem tenerentur, controversia olim fuit: de qua cum in congregatione Concilii die 9 Januarii 1616 actum fuerit, sacra congregatio ita rescripsit: « Agendum esse cum « sanctissimo domino nostro, ne illos obstringat; sed potius benigne declaret, non « teneri ejusmodi onus subire, cum sint quæ « tidie in conspectu Sanctitatis Sæ. » At summus Pontifex Paulus V, ut in actis ejusdem congregationis adnotatum legitur lib. XIX *Supplic. libellor.*, p. 887, hujusmodi declarationem edere noluit; « sed dixit, nec velle se illis id oneris imponere, si alias non teneantur: verum expedire, sibi placere, ut et ipsi Constitutionem observent. » Denique Clemens XII, in constit. *Pastorale offic.*, § 9, jure ac merito declaravit, ipsos vere obligatos esse ad Sixtinæ constitutionis observantiam: « Necnon relationem status earundem Ecclesiarum, et « diœcesium, quibus præsent, ipsi Pontifici « juxta constitutionem san. mem. Sixti Papæ « V prædecessoris quoque nostri, quæ incipit « Romanus Pontifex, exhibere. » Quod quidem jure ac merito a Clemente XII factum fuisse diximus. Cum enim in Sixtina constitutione episcoporum etiam cardinalium expressa mentio fiat; cumque iidem cardinales episcopi suburbicarii diœceses suas gubernare, et visitare teneantur, nec ab alio episcopalis officii onere exempti sint, præterquam a residentia materiali, difficile sane erat intelligere, qua ratione a Sixtina constitutionis lege immunes censerentur. »

De synod. diœces., lib. XIII, §§ 3, 4, 5, 6, 7.

(52. Præstat insuper ad totius rei de qua agitur in hoc articulo explanationem, suprad. Sixti V constitut. heic afferre tenoris sequentis.

Romanus Pontifex ibi: « Hac perpetua constitut. sancimus, decernimus, et mandamus, ut omnes patriarch., primates, archiep., episcopi per universum orbem terrarum constituti, a Nobis deinceps ordinandi, etiam si cardinalatus honore præfulgeant, antequam munus consecrationis suscipiant, seu eis consecratis pallium de B. Petri corpore sumptum tradatur, aut si ad aliam Ecclesiam transferantur, antequam illius regimini, et administrationi se immisceant, si quidem præsentés in curia fuerint, in manibus S. R. E. diaconi cardinalis ordine prioris, si vero absentes in manibus antistitis, qui ad impendendum munus prædictum, aut ad tradendum pallium hujusmodi a Sede Apostolica delegabitur, jurent juxta formam

iam in libro Cancellariæ Apostolicæ Quinterno appellato nuper descriptam, se beatissimorum apostolorum Petri et Pauli limina statutis in hac nostra constitutione temporibus personaliter, ac per se ipsos visituros, ac Nobis, et successoribus nostris pro tempore existentibus Romanis Pontificibus rationem reddituros de toto eorum pastoralis officio, deque rebus omnibus ad ipsarum, quibus præsent, Ecclesiarum statum, ad cleri, et populi disciplinam, animarum denique, quæ illorum fidei creditæ sunt, salutem quovis modo pertinentibus, et vicissim mandata Apostolica humiliter recepturos, et quam diligentissime exsecuturos.

« Quod si legitimo impedimento detenti fuerint, jurent, se prædicta omnia adimpleturos per certum nuntium ad illa speciale mandatum habentem de gremio suorum capitulorum, aut alium in dignitate ecclesiastica constitutum, seu alias personatum habentem, aut si hujusmodi hominem ecclesiastica dignitate, et personatu præditum non habeant, per diœcesanum sacerdotem, et si clero careant omnino, per aliquem alium presbyterum sæcularem, vel regularem spectatæ probitatis, et religionis de supradictis omnibus plene instructum. De hujusmodi autem impedimento docere debeant per legitimas probationes, ad dictum primum diaconum cardinalem per supradictum nuntium transmittendas.

« Quin etiam principes temporales, si quid pro eorum pietate, et erga hanc Apostolicam Sedem observantia, Rom. Pont. voluerint significare, eosdem sive episcopos, sive alios, qui ab eis mittentur, fidos habebunt nuntios ac relatores, quorum opera ab eadem Sede pro illorum domini ditionibus, et rebus firmandis, ac stabiliendis et cum Dei, et sanctæ religionis causa, sine qua tuto consistere haud possint, conjungendis, opportuna sinceræ charitatis officia, consilia, atque subsidia expectare certo poterunt.

« Ad hoc autem debitum visitationis officium commode explendum supradicti omnes patriarchæ, primates, archiep. et episcopi Itali videlicet, vel ex Italicis insulis, unde in Italiam commodius trajici potest, veluti Siculi, Sardi, Corsi, et alii adjacentium provinciarum Italiæ, ac etiam Dalmatiæ, et Græcarum, quæ e regione ipsius Italiæ et Sicilia oris sunt, tertio anno: Germani vero, Galli, Hispani, Belgæ, Bohemi, Hungari, Poloni, Angli, Scoti, Hiberni, et cæteri omnes, qui in Europa sunt citra mare Germanicum, et Balticum, ac omnium insularum maris Mediterranei, quarto anno: et qui intra Europæ fines sunt his provinciis remotiores; ac etiam Africani littoribus nostris adversi, ac insularum maris Oceani septentrionalis, et occidentalis Europæ, et Africa citra continentem novi orbis, tam qui nunc sunt, quam qui ad catholicam fidem per misericordiam Dei aliquando redierint, V anno. Asiatici vero, et qui extra Asiam, et in aliis novis terris orientalibus,